DE SYPHILIDE INAUGURALIS DISQUISITIO HABITA IN CELEBERRIMO...

Luigi Ferrari

20

DE

SYPHILIDE

INAUGURALIS DISQUISITIO

HABITA

IN CELEBERRIMO AC PERVETUSTO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AB

ALOYSIO FERRARI

MUTINENSI

AD MEDICINAE LAUREAM ASSEQUENDAM

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXII

428

Syphilidis nomen sibi vult ferox contagium quod datis circumstantiis ab hoc in illum migrat, et a generatione in generationem per hereditatem discedit. Momenta in quibus ut plurimum ab uno in alterum dimittitur, reducuntur ed coitum individuum inter boc morbo affectum et sanum, ad contactum partium excoriationem vel irritetionem patientium facili absorptione praeditarum, cum partibus, hujusce causa morbi, ulcera ostendentibus, ad transmissionem e parentibus in filios sub forma congenitae syphilidis sive connatae; dum minime tuto propagationem per aeris et alimentorum canalem admittere possimus, cum desint experientiae certae et firmae, hoc pacto contagium ab altero in alterum posse transferri probantes. Quod morbus hic contagii ad instar procedat, nemo ibit inficias, praecipue cum recordemur, observationem illam simplicissimam sufficere, quod sanus alter cum affecto commercium egendo, illico principia reportet talia, e quibus simillimus morbus tum forma tum evolutionis mo-

do et processu insurgit illi qui aegrum individuum fuerat aggressus.

Non serius admodum medicinam facientes sibi suaserunt morbum hunc systema lymphaticum glandulare invadere, ex eo quia marte suo conditionem pathologicam systematis patentis in scenam prodibat, non tantum phaenomenis, quae suam existentiam in stadio delitescentiae paterent, quantum exitibus variis stadii augmenti, status, decrementi et finis. Cum inoculatio hujusce contagii in organis generationi inservientibus perficiatur ubi primo circulum suum init et complet, ibi quoque quantitatem, juxta contagii, et forsan qualitatem juxta plus minusve ream; nequa simul omittendum puto, dispositionem, juxta individui contrahentis aut susceptivitatem sive sensibilitatem, et forsan peculiarem idiosyncrasiam, morbus manifestatur per gonorrhoeas, bubones ad inguina, orchitides, ulcera, condilomata, quae omnia ad exitus plus minusve exitiosos perducunt, prout qualitas unionis momentorum, quae supra exposui, diversimoda expletur. Et quamvis nusquam contagium hocce prima fronte lethum pariat, tamen gradatim hoc producit, intima vitae stamina erodendo quam aeger tristem et infelicissimam vivit. Tanta enim tristitia et rabies hujusce contagii ostenditur, ut minime partes primas quas adoritur et circumstantes invadere sibi sit sufficiens eas omnes omnimode torquendo, quin imo a finitimis in longinquas corporis regiones sese producendo systema integrum glandulare

occupat et lymphaticum, nec limites quidem sistit suos, cum ossium fabricam mutarit, figuram, ordinem, dispositionem miscuerit, et sensationes dolorificas produxerit in illo qui morbosos istiusmodi processus patitur atque negligit. Et durum observatu est quod iners in hoc morbo oppugnando sive ab ejus vi victa natura sit; quoniam majorem morborum numerum dynamico motu suo consumere tendens, nisi omnino organismo integro innocuos efficit, saltem exitus ad partem conterminat, post quod bona pace aegrotanti sperare licet molestiam ulteriorem non sufferre. Hoc vero contagio vigente, eo magis insolescit, eo magis organismus exardet, organon nullum eximitur, quaevis functio alienatur, processus quivis aut supprimitur, aut vario modo turbatur. Quapropter cum chimico-vitalium affinitatum prohibeatur complementum, vegetatio corporis infrenatur, systema sentiens impressionibus exacte non respondet, et finis morbi videtur cum majorum systematum harmonia destruatur, in quibus sedet vita, quaequa vitam moderantur.

Quod si ad peculiaria istius morbi attentionem inferre vellem, beu nimis istis diebus communis et ubique noti, sermonem habere deberem de ulceribus, gangraenis, secretionibus quantitate et qualitata alienatis, de ossium carie, necrosi, exostosi quaque in corporis parte exsurgentibus stricte nulla excepta. Neve facile credatur jam dictum lymphatico-glandulare systema solummodo, sicut ab initio fuit, patiens ire; quin etiam san-

guiferum majus ingruendo syphiliticae tabes observantur tum pulmonales tum meseraicae, carditides, hepatitides, cystitides, nephritides, aneurismata interna et externa aliaeve cujuslibet speciei affectiones hujusce morbi sociae aut ipsum consequentes. Cum vero morbi processus, si progressive sequatur, lentus evadat, eodem charactere varietates ejus signantur, speciatim exanthemata quae rationali cuivis therapeutico subsidio obsunt et durant. Symptomata recensere si mihi in animo esset, sermonem in longum nimis producerem; aliunde cum nota sint lippis et tonsoribus, hoc tantum memorabo, quomodo et ipsa una cum morbo singularia sint et a quovis alio diversa. Qua de re licet nobis concludere syphilidem morbum specificum sui generis patere, qui reapse pendet a principio morbifico in organismum inducto, quod ibi morbum parem evolvit illi a quo principium orsum est. Thompson statuere potuit et asseveranter sibimetipsi confirmare, affectionem in patulum prodire lympho-angioitidis ope, quod experientiae et observationes in posterum institutae certissimum fecerunt. Facili negotio comprehendere haud fas est, quantum attentionis et studii novum hoc malum in se converterit, et quot medici illi fuerint qui peculiare hoc investigationis et examinis subjectum sibi eligerent. Celerem ipsius propagationis modum cum viderent, cum phaenomena insueta conspicerent, cum sequelas librarent, cum cujuslibet generis parta monstra timerent, quibus suo in itinere affectos

signabat, medicinam profitentes quamplurimi doctrina et ingenio praestantes totis viribus sese dederunt studio, ut medicamen huic morbo conveniens instituerent. Cum omnes in hoc unum consentirent methodum diaphoreticam unicam esse a qua utilitates eruere, et viam sternere ad aliquem salutis restaurandae modum, curas omnes et sollicitudines in ipsam impenderunt, atque ipsa plus minusve varios juxta casus bene conduxit. Quamvis aliqui simplicem medelam instituerent ex herbis et radicibus ad diaphoresim movendam aptis, alii e contrario compositum complicatumque remedium maluerunt reperire noviati et conspicuitati morbi consentaneum. Neque defuerunt, sicuti et hodie non desiderantur, mulierculae, infimae notae medici et agyrtae secreta remedia istis in circumstantiis apta quasi panaceas clamitantes et venundantes. Inter simplicia lignum guajacum et sassafras primo nominabantur; sulphuris et antimonialium victorias cecinerunt. Medicus proinde nullus aderat, qui nullius pretii aliorum experientiam et observationem habens, proprium remedium magna voce ad sidera ferebat. Quantum et quale de aconito non sunt locuti? et revera quanta cum utilitate interdum non adhibetur? neque mirum; nam si in arthritide et rheumatismo votis respondet, qui morbi a lymphaticorum phlogosi constituuntur, non est, cur utilitatem parere nequeat hoc in casu, dum morbus a lympho-angioitide procedit et servatur? Plerumque balnea tepentia fuerunt in usum ducta, neque venae se-

ctiones generales ac topicae neglectae sunt. Fuit qui morbum hunc remediis externis tantummodo, qui tantummodo internis curandum tradebat. Sibi quidam proposuerunt illum usu purgantium continuo de medio tollere, quidam fame illum suffocare tentarunt, quos inter Osbek et Strub supereminent. Hisce nostris diebus laudibus maximis adhibetur roob quoddam Parisiis fabrefactum, cujus sermonem facere mei non est, cum compositio in secretis teneatur, neque adbuc ait sufficiens factorum numerus quibus veritas prodeat, cum clamorem tantum sibi acquirere las fuerit postremae medicae novitatis diei insipientium causa amatorum. Non est inficiandum cuncta haec remedia directe aut indirecte in illud intendere, ut vasorum lymphaticorum statum illum vitalis incitamenti infrenent et auferant, a quo affluxus sanguinis innormalis in ipsis vocatur qui phlogisticum processum constituit, et exinde medicam virtutem contra hunc morbum possint explicare. Ast sicuti summorum hominum experientia et praxis confirmarunt nusquam haec medicamina tantum valere, ut illum ab organismo removeant, sed ne quidem ut effectus et vim sopiant; ita statutum fuit constanter opem a mercurio postulare per quem aegrotantes in posterum molestia aliqua non afficiuntur. Re quidem vera continuo validissimum hoc remedium expletis votis in usum trahitur; sed cum temporibus illis ejus vis et potentia morbifica ignorarentur, non solum effectus damnosi et improvisi aderant, verum et-

iam saepenumero morbo primo vigente et assidua sese exacerbante, parem alium aut pejorem medicina addebat. Et quod maximi interest in eo situm est quod cum hydrargyrum, morbum syphilidi tum evolutione tum decursu simillimum moveat, accidit ut una confunderentur, et mercurio malum curaretur ab ipso promotum et sustentatum. Quapropter insurgere videre erant rebellia ptyalismus, foetida in ore ulcera, dentium caries, gingivarum relaxatio et destructio non solum, sed partium os circumstantium, febres consumptivae, diarrhoeae, dysenteriae, fluxus sanguinei, exantbemata, mania, convulsiones, epilepsia, uno verbo omne id quod in morbi mercurialis varietatibus observatione dignum occurrit. Tot damna et congeries phaenomenorum et calamitatum adeo terribilis, ut infirmi vitae minitaretur eamque auferret, multos medicos in hoc impulit, ut remedium istud derelinquendum proposuerint sicuti periculosum et noxium. Illud tamen non viderunt tot mala proficisci aut ab immodico medicaminis usu, aut a minus prudenti administratione, aut a vitae regimina minime congruo, aut etiam demum a deficientia observationis strictae utrum conveniret remedium nec ne. Quo factum est, ut ab usu maximo in extremum oppositum transeuntes totis viribus conati sint aliqui illud in contemptum ducere in medicamentorum farragine auxilium infirmis requirendo, et plures in eo erant undique, ut supradicta medicamina adhiberent. Neque omnino desideratae sunt observationes et experientiae

quibus eorum antisyphilitica virtus confirmaretur, et exinde a mercurio producta mala potius quam utilitates considerantes adeo potuerunt, ut et nunc multi hydrargyri nomen fastidiant atque borreacant. Quidam tamen fuerunt modum servantes, qui prudentia hydrargyri quodvis praeparatum usuvenire non timuerunt criterio et ratiocinandi vi ducti quomodo cuique medico agere est, et deducere potuerunt tum propriam ob experientiam tum ob exitus qui a medicis dissentientibus obtinebantur, nullum remedium extare quo mercurio magis syphilidis phaenomena destruantur. Siquidem syphilis curatur faciliores reddendo et conducendo lympho-angioitidis exitus a qua conatituitur, ad diaphoresim plus minusve profusam et continuam; quare asserere nequimus seminium omnino tolli ab eo, quem semel morbus aggressus est, speciatim si universum invaserit organismum; jure meritoque medici putarunt exacte mercurii actionem in syphilidem definivisse cum dicerent contagium ab ipso neutrum reddi. Hoc tempore medici doctissimi medium tenuerunt et docuerunt, illico in curanda syphilide mercurialia in usum vocari cum topice tum generatim minime aliorum medicae artis auxilia contemnentes, quibus mercurii actio juvatur quaeque eumdem in finem intendunt, pristinam scilicet salutem aegrotanti restituendi. Remedium hoc exinde quod tanta pollet virtute et efficacia, ut sequiora multa enumeret non vero aequalia, contagium hoc in-pugnando quod quovis sub adspectu specificum

est nominandum, specificum quidem remedium debet appellari. Neque minorem vim veritatis assertum meum acquirit, si individui observentur qui sub mercurii usu luis confirmatae aut conclamatae victimae sunt a contagio repetitis vicibus acquisito pendentis, ex eo quia praeter habitudinis in remedium argumentum quod pro me certat, aliud exstat, hoc est quod remedia diversa in usum si trahantur et mercurius, effectus salutem restaurandi obtinetur a morbo, ut ita dicam, constitutionali deperditam ac laniatam.

Scio equidem quod mercurio sine salutis spe adhibito, aliqui ad sulphatem cupri confugiunt tum externe tum interne; neque ignoro quod prosunt causticorum variae species quibus utuntur majori cum periculo quam utilitate. Quid autem intentatum medici liquere, quod iter non explerunt, quas substantias veneficas et terribiles in beneficas non mutarunt? Inter ceteras vero nulla cognoscitur quae melius respondeat muriati auri. Validissimum hoc venenum in Clinico isto Instituto adhibebat illustris professor Brera. Ipse potuit propria ductus observatione deducere et asseveratione certa confirmare, muriatem auri illa instructum esse facultate, individuos disponendi ita, ut beneficos mercurii effectus persentiant, atque hinc salutem sperare possint tum cum repetitas ob syphilides et usum mercurialium quavis sub forma praescriptorum, inutile evadit amplius sanitatis scopo eadem suppeditare. Hoc remedium in memoriam retuli, et ut justa et debita

laus sit et recordatio illi qui tantum operis medicinae construxit, et ut illis lux facta sit, qui possibile omne fecisse credunt mercurio administrato, et hoc modo inhonestam fugam capessere bonum sibi credunt. Spem tamen nolo evehere et flagrantem reddere adeo, ut audacis securitatis personam vestiat, et exoriatur qui mihi in aure susurret quod *aegri curantur in libris, moriuntur in lectis*.

THESES DEFENDENDAE

I.

A legibus mechanicis actionem hydrargyri in syphilidem desumere, ratio et experientia obstat.

II.

Proximae morborum causae in eorum curatione summopere perspiciendae.

III.

Tubus gastro-entericus vel directe vel indirecte in omnibus morbis afficitur.

IV.

Febris gastrica sic dicta est vera gastro-enteritis.